



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

XVIII. Popo

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

multa passus est pericula. Post reditum *Boslebiae*, in honorem *S. Bonifacii*, novum Canonicorum Collegium construxit, & de suis decimis dotavit. Moritur peste AD. M xxxvi. vel sequente.

XVIII. POPO.

XVIII. Po-

Natione *Buchonius*, Professor *Laurissensis* Monasterii, salutaris Reformato operâ & mandato *Henrici* Regis, cujus beneficio Abbas factus fuerat. Novos enim & bonos Monachos è suo Monasterio adduxit. Ex liberalitate *Kunegundis*, seu potius propter interventum ejus, multa bona dantur Ecclesiae Fuldensi à Rege *Henrico*. Turpis confusio scribentium & narrantium. Alii *Poponis* successorem faciunt *Woltmarum*, alii *Barthonem*, alii post *Brantha* ponunt *Poponem*, huic substituunt *Woltmarum*, & huic *Barthonem*, huic verò *Richartum*. Nos *Poponis* substitui-

XIX. RICHART.

XIX. Richart.

Qui Venerabilis & laudabilis Pater non satis laudari potest. Dicitur fuisse ex familia *Grappelt*, uti *Popo*. (r) Ejus tempore *Benedictus* Papa & Imperator *Henricus* fuere Fuldæ, ei que benefecere multum, partim privilegia, partim bona dando & innovando. (s) Ecclesiam *S. Andreae* in novo monte construxit, uti *Amersbachii*, seu *Amorbachii* in Francia Monasterium. Fuit in Synodo *Seligenstaden* A. D. M xxxi i i. Sub eo Scoti Monachi *Fuldense* cœnobium intrant, idque in omnibus bene reformatum, juxta regulam *S. P. N. Bened.* Mandavit Monachis suis, ut facta Clarorum Virorum fideliter describerent, & Manuscripta bibliothecæ inferrent. Moritur AD. M xxxix.

XX. SIGHARTUS.

XX. Sigbart.

Et hic bene præfuit. Scribunt factum fuisse Episcopum *Hildesemensem*, alii autem dubitant, & addunt, vocatum quidem fuisse, sed non admissum. Moritur AD. M xli i i i. Prælatuæ IV. in bello Bohemico, in quo Vexillifer Regius erat.

XXI. ROHINGUS.

XXI. Rohingus.

Varia, multa & pretiosa ornamenta Ecclesiae comparavit, imprimis magnam, & multi valoris tabulam, piis imaginibus plenam, margaritis & gemmis undique coruscantem, quam successor ejus demum perfecit. Moritur in itinere Romano, imò in urbe Roma AD. M xlv i i. in comitatu Regis *Henrici* II. ubi à *Clemente* II. Abbas consecratus ipso natali Dominico.

XXII. EC-

(r) de *Popone* certum est, de *Richarto* autem dubio. (s) *Fabricius* l. c. p. 95. hoc ad *Ekkenbaldum* refert, sed vid. *Brovver* L. IV. A. F. p. 90.